

Nobilissime inter Doctos,
Doctissime inter Nobiles VIR,
ad gloriam Virtutum nate,

Iam saepius provocati humanitate tua, et beneficiis
empti, non verebimur novâ petitione molesti esse;
ut tranquilli simus, totâque vitae Rusticae felicitatem
tibi debeamus. Quomodo molesti autem? Delectatione
tua sunt, bene de bonis mereri. Ego autem,
et sic filius meus tam gratus sumus, ut in fiduciam
non peccandi ipsâ etiam libertate erigamur. Tanti
mirum apud te bonarum studium Literarum est, et
Bonae Mentis Amor: nos autem quomodo privata
quietis vota publico omnis virtutis elegantiaequae
Patrono non commendamus? Causa filii, mea est;
quam ipse coram explicabit: felicitas quoque filii,
mea erit, si praedio ille suo tutus fruatur. Adhuc
mimantur milites, quasi post acceptam pecuniam ferociores;
quam Socer filii persolvit, non quia debebat,
sed quia promiserat; ut e carcere dimitteretur. Liber
solâ innocentia controversiam aestimans, majoribus
se molestus involvit. Etenim SANDAEVS quidam,
Scenae totius architectus, capere incantum Clanditiis
potuit, et novo obligationis instrumento irretire,
ut falleret, et mox lite in Senatu Brabantiae aggrederetur.
Aggressus est, pecuniâque de qua dixi,

carceris quoque severitate obtinuit. Is, inquam, SANDAEVS,
qui lytri persolvendi suavor primum fuit, postea fidesussor,
demum exactor: qui cum in se, certam etiam pactas merce-
dem, pecuniae e fructibus praedii colligendae curam sus-
cepisset, omnium negligens, et praedium et fructus
perdidit, et quicquid dare anni posteriores poterant. Ut
haec omnia sunt, omnem audeo culpam in unum Sunc
Sominem conijcere. Ad milites vero quod attinet, vio-
lentiae, ut sic dicam, ministros duntaxat fuisse, etiam
filio meo, non sine gravi discrimine illatae. Socerum
ejus non minus acenso, qui in toto hoc negotio nul-
lum bonis consiliis locum dedit, protervus animo, cum
satis putaret, insontem esse; bonam interim causam
perverso agendi modo tantum non corrumpens. Sed
satis jam punitus est, satisque stultitiam suam ipse
expiavit, qui cum totus innocentiae suae incumbere,
in praedam praedium non suum reliquit. Quod in dotem
ab uxore acceperat, in dotem quoque filiae tradidit,
IUSTO meo nubenti. Hic igitur dominus est, Sic ut
securè ageret dominum, Severissimi se Principis
tui tutelae submisit, tam benigne receptus, quam
ta candidè, etiam in hostibus, Litterarum, quae tra-
ctamus studia, amas. Impetrasti, Virorum Optime,
ut extra violentiam militarem filius meus haberetur:

reliquum est, ut iam totam tibi securitatem debeat, ac
possit impunè vasticari. Haec illius otia, mea iam
senescentis solatia erunt, ac videbor aliquam melioris
aetatis imaginem simul induere. Si licuerit, in illa
ruris amoeni libertate, audebo, relicta vrbē, interdum
respirare; audebo colligere animum, qui multis curis
sufficiat; audebo ad me venire, quia ab Somnibus re-
cedam. Hic nemus est, sic rivi, colles, campi, sic
uberior videtur naturae amoenitas, quam ipsae Amsue
ament. His cedat miles, sis amari sciat HUGENIVM,
quem nos instar Apollinis veneramus. Sed quò me
rapit mentis impetus? Adhuc humanitate tuâ opas, ut
securi simus: et magis tui esse cupimus, ut simus,
et extra metum molestiamque collochemur. Ecce carsson
nostram noster ille TULDENVVS, ille iam penitus tuus
simul agit, prudenter, quemadmodum doctissimus est;
candidè, quemadmodum Amicus, totumque controver-
sae nodum leniter dissolvit. quae scribenda praeterea
sunt, Filius dicet, suo ore, meo animo: et quia filius,
patrem sibi sistit, eodem erigendum beneficium, quo
felicitatem ipse suam consequetur. Sic vale, et me
ama, vir omni laude major, Doctrinae et virtutis
delicium: ama filium meum, quod amplius eris
quam iuvare. Lovanii, in Arce Nonis Aprilis,

∞. DC. XLII.

Toto animo TVVS

Erycius Puteanus.

}

[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and orientation.]

Toto anno 1743

De D. C. XLI

3

23^{to} Huyg. 37

Perillustri et Summo Viro
D. CONSTANTINO HYGENIO EQ.
Domino de Zuylicsem,
Principi à Consiliis et Secretis.

Hagam.



